



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. LI. Ostenditur, quomodo nobis ad Christi crucem confugiendum sit, vt
à peccatis nos liberemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

operatur spirituales, quos diximus, effectus tollendi peccata commissa, ea, quæ adhuc committi possent, impediendi, hominē in diuinā gratiā conseruandi, & meritum bonorum operum, æternæque vitæ præmium augendi.

Ostenditur, quomodo nobis ad Christi crucem confugiendum sit, ut à peccatis nos liberemus.

C A P. LI.

VNum ex efficacissimis, Deoq; gratissimis remedijs nos à peccatis liberandi est, per considerationem, & affectum cordis ad crucem D. N. IESV Christi confugere, aspiciendo Dominum ei affixum, considerando res, quas in illâ nobis manifestat, ac tradit, & petendo ab eo per virtutem passionis ipsius, fauorem, & auxilium ad corrigendos nos à peccatis præteritis, & fortiter resistendum omnibus tentationibus inimicorum, qui nos ad alia de nouo committenda prouocant,

Cum

De gravitate peccati mortalis. 583

Cum Saul à Dæmone, qui in eum pro-
pter ipsius peccatum intrârat, exagi-
taretur, pro remedio suo Musicam ad-
hibebat, percutiente David citharam,
& diuinos psalmos accinente : quâ
Musica *recedebat spiritus malus, & Saul*
refocillabatur, ac lenius habebat. a Hoc
remedium est, quod habent peccato-
res, vt se à peccatis, & à Dæmone, qui
eos sollicitat, liberent, aspicere Chri-
stum in citharâ crucis positum, exten-
sum, ei que clavis affixum; & audire
dulcissimâ, ac Mysteriosam Musicam,
quam ipse edit, vt nos à peccatis libe-
ret, & det nobis spirituales, æternam-
que consolationem, & quietem. Quod
hæc Musica sonat, ac manifestat, est
infinite amor, quo nos hic Dominus
amavit, immensum, quod habet, salu-
tis animarum nostrarum desiderium,
incomparabile, quo peccata prosequi-
tur, odium; & voluntas, atque zelus ar-
dentissimus, quem habet, nos ab eis li-
berandi. Hi enim affectus amoris glo-
riæ Patris, desiderij nostræ salutis, &
odij

a *1. Reg. 16. 23.*

odij peccati eum in crucem egerunt. Docet quoque nos hæc diuina Musica, quid facere debeamus in pœnitentiâ, & satisfactionem priorum nostrorum peccatorum, quando Dei filius tantum pro alienis peccatis fecit, & passus est; & quantum elaborare debeamus in resistendo tentationibus, quando Christus in Cruce tantum laborauit, ac passus est, vt nos à peccatis liberaret. Hoc monitum dat S. Chrysostomus hisce verbis: *a Quando concupiscentia mala inflamat animã, Christi crucem ante oculos tuos pone, Christum in eâ confixum intuere, atque considera; & statim malam vinces, voluptatem, purusq; à peccatis abibis.* Ausculta diligenter Musicam in hoc ligno sonantem, ictus malleorum, qui Domini manus, & pedes clauis configunt, stridorem ossium, cum à se inuicem distenderentur, sonitum neruorum, cum traherentur, rumperenturque, strepitum sanguinis, cum vbertim in terram decideret, sensum totius corporis, cū

crux

a D. Chr. serm. de continent. tom. 1.

crux plantanda impetu demitteretur
in foueam, & cum denique mortui la-
tus lanceâ hauriretur. Hi soni sunt ex
vnâ parte mœsti admodum, ac dolo-
rosi, quatenus testes erant tormento-
rum, quæ Dominus patiebatur; & ex
alterâ suaues sunt, eduntque præcla-
rum, ac dulce melos, quatenus amoris,
& desiderij nostræ salutis, cum quo
patiebatur, sunt testes. Ingens Crucis
virtus est, ineffabilia sunt potentię eius
opera. Crux nos è Satanæ tyrannide,
& captiuitate eripuit, cum Deo nos
reconciliauit, mortem destruxit, vi-
tam nobis dedit, cæli portam nobis
aperuit, nosque illuc introduxit. Per
Crucem Christus vicit mundum, de-
struxit dominium, quod in eo Diabo-
lus habebat, debellauit terræ princi-
pes, liberauit gentes ab erroribus, ac
vitijs, in quibus iacebant, veramque
eis sapientiam, & sanctitatem dedit.
Per Crucem dat nobis Christus effica-
ciam, & vigorem ad vincendos no-
stros inimicos, facitque, vt solo illius
attento aspectu, & viuâ confidentiâ

refi-

resistamus tentationibus, nosq; à peccatis liberemus, a Columna nubis, & ignea, quæ præcedebat filios Israël, defendebat eos à calore solis, liberabat eos ab obscuritate, horroreque noctis, & ab inimicis, qui persequebantur ipsos, protegebat. Ita Crux nos ab ardore concupiscentiæ, & inordinati amoris defendit, ab horribilibus peccatorum tenebris liberat, & ab omnibus inimicis nostris tuetur. Virga, quâ Moyses manu gerebat, extensa super mare, illud aperuit, vt filij Israël salui transirent, ac versus terram promissionis proficiscerentur: eademque virga mare occlusit, & omnes Ægyptios in eo submersit. Pariter crux, quam Christus in manibus omnipotentiae suæ tenet, nos à mundi huius malo liberat, tutam nobis in eo viam, quæ nos ad caelestes habitationes ducat, aperit, & virtute suâ omnes animarum nostrarum hostes, qui sunt peccata, tentationesque viam cæli nobis impediunt, submergit, atque occidit. Accedamus
ad

a Exod. 14. 19.

ad hanc Crucem, figamus in eâ animæ nostræ oculos, pendentem in ipsâ Dominum per Fidem consideremus. Idcirco enim mori voluit non capite, plexus, nec lapidibus obrutus, sed crucifixus, vt manus transosse, pedes perterebrati, membra saucia, & latus apertum nobis essent tot portæ, ac tot fenestræ vitæ, per quas introiremus in sacrum eius pectus, & cor, nosque intro, tanquam in arcem refugij, reciperemus, vbi defenderemur ab omnibus nostris inimicis, & ab omnibus peccatis nostris liberaremur. Hinc enim odium omnium vitiosarum voluptatû, & animum ad agendam pœnitentiam, ad patiendas pœnas, amplectendasque ærumnas, ac labores virtuosos concipiemus videntes, quid altissimus Deus in carne mortali pro nobis passus sit. *a* Nam vt S. Chrysostronus ait, *nihil æquè dissimilaneum est, alienumq; à professione Christiani, qui credit in IESUM Christum crucifixum, ac presentis vitæ orium, & delicias quarere.* Hoc

a D. Chr. serm. 13, in c. 3, ad 1.

enim est esse *inimicum* crucis Christi, cum Fideles Christiani debeant *amici crucis Christi* esse, *seq̄ ipsi ad illius imitationem* sponte *crucifigere*, & peccatis *morari*. Et hoc operatur crux Christi in ijs, qui cum Fide eam aspiciunt in eaque Christum crucifixum contemplantur. Tanta est virtus Crucis ad operandos hos effectus in illis, qui eam intuentur, vt ad poenitentiam de peccatis suis agendam mouerit impios Iudæos, & incredulos gentiles, qui crucifixerunt eum, & post crucifixionem, ibi presentes ipsum aspexerunt, Vnde Ethnici milites mali, quod patrarent, poenitentes, dixerunt: *Verè filius Dei erat iste Dominus*. Et Iudæi cum dolore impietatis suæ *percutientes pectora sua in ciuitatem reuertebantur*. Si hoc operata est Crux Christi in infidelibus, quid in fidelibus, cum fide, ac deuotione eam contemplantibus operabitur? Clarum est, moturam eos ad agendam de culpis suis poenitentiam, ad mortificandam suam carnem, & ad omnia peccata, omnesque vitiosas mundi

mun
das
fuit a
die il
lica
in m
iuxta
restin
re ef
stus
Patr
terra
di.
ded
de S
dica
Cru
fuit
dict
vni
Dor
rum
fum
fect

mundi voluptates, ac delicias fugien-
das. Hæc Crucis virtus significata
fuit ab Isaiâ Prophetâ, dicente : *a In*
die illâ, hoc est, tempore legis Euange-
licæ, erit altare Domino consecratum
in medio terra Ægypti, & titulus Domini
iuxta terminum eius erit in signum, & in
testimonium eidem Domino. Hoc alta-
re est sanctissima Crux, in quâ Chri-
stus se obtulit in sacrificium æterno
Patri pro salute humani generis, in
terrâ Iudææ, quæ erat in medio mun-
di. Titulus, qui de eo testimonium
dedit, est Lex Evangelicâ, quæ exiuit
de Sion, & per totum mundum præ-
dicata est, ipseque titulus, qui supra
Crucem positus, & huius legis pars
fuit, quem titulum Spiritus Sanctus
dictavit, scribi que fecit, ac per eum
vniuersis populis testatus est illum
Dominum, vocatum IESVM, ve-
rum esse regem, & Messiam promif-
sum in remedium mundi. Et de ef-
fectu inde secuturo subdit mox idem
Pro-

â *Is. 19. 19.*

Propheta, Aegyptios, qui sunt peccatores conuersi, videntes se à mundo, Diabolo, suâque ipsorum carne tribulari, aspiciendo hoc altare *clamaruros ad Dominum*, fauoremque eius imploraturos, & Dominum missurum illis Saluatorem, & propugnatorem, qui eos liberet à peccatis, & ab inimicis ipsorum defendat; id quod æternus Pater quotidie facit, communicando nobis virtutem, & merita Christi Saluatoris nostri. Utamur ergo hoc remedio de celo dato, & in qualibet tentatione, & aduersitate ad Christi Crucem confugiamus. Consideremus poenas, quas Christus in eâ passus est, & amorem, cum quo est passus: eumque rogemus, vt per virtutem passionis suæ nos liberet, ac defendat ab omnibus inimicis nostris, robur nobis ad eos vincendos det, & concedat, vt à peccatis liberi, nos in ipsius gratiâ conseruemus, donec æternum gloriæ eius præmiu[m] consequamur.

De